



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventurae Episcopi Cardinalis Albanensis,
Seraph. Doctoris Ecclesiae, Speculum Disciplinae, Et
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>
Bonaventura <Heiliger>**

Antverpiæ, 1591

Incipit processus septimus. Cap. LVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

Incipit processus septimus.

CAP. LVII.

ET quia de voluntatis profectu supra tractatum est, qui consistit in ordinata affectuū dispositione, in qua attenditur actiue vitæ perfectio; consequenter ad contemplatiuæ vitæ profectum appropinquare cōsiderationis passibus studeamus: eo quod volentibus in spiritu proficere, istud non inutile videatur.

De profectu vitæ contemplatiuæ.

CAP. LVIII.

IN contemplationis profectu primus status vitæ religiosæ, scilicet processus sapientiæ consistit, habens intelligentiæ lumen, & suauitatis internæ saporē. Vnde sapientiæ, i. sapida scientia. Dictum est autem supra, quod profectus siue perfectio spiritualis vitæ, in tribus principaliter consistit: in rationis illuminatione, in voluntatis rectitudine, in memoriæ iugi circa Deum occupatione. Memoria vt in Deum intendere iugiter assuescat, ei que inhæreat, quinque vias terere & frequentare addiscat, quæ sunt: lectio, collatio, meditatio de Deo, oratio, & contemplatio. Lectio & collatio bonæ sunt, quasi semina & materia meditationis. Vnde qualia vis tibi meditati vel oranti occurrere in cogitatione, talibus colloquiis, lectionibus, aut negotiis prius occupare stude memoriam: quia qualis liquor vasi infunditur, taliter redolebit: & quales herbas in horto cordis tui plantaueris, talia semina germinabūt. Collatio spiritualis instruit intellectum, affectū inflammat, memoriæ bonæ & sanctæ cogitationis prole fecundat. Sicut è conuerso

*Lib. 1. c. 4
& seq.*

Memoria
quinque
modis
Deo in-
hære do-
cet.